

multi] plicia et grandia¹ sub terris inventa satis evidens ostendunt indicium, licet superne non appareant ruinae moeniorum. Inveniuntur quoque in profundo telluris sepe urceoli fictiles, scutulae rubri coloris fuco vermiculatae, necnon et ampullae vitreae, in quibus aliquantis quidam liquor continetur ita perspicuus, sicut lacrima, in aliquantis vero crematorum cadaverum cineres et ossicula, sed et erroris sui et superstitionis con². . . .

Folgt fol. 136'—137' c. 20 der Gründungsgeschichte von 'Quamvis profectus — — subripuere'.

Fol. 137'. In Remegiis³ iterum possessionis, de qua agitur, terrae ac silvae portio non adeo modica continetur, quam unus de mansionaticis sancti Amandi quinque solidorum annuo censu sibi retinere videbatur. Hic census raro aut vix aut nunquam persolvebatur ex integro. Erat ergo maioris pretii sine utilitate talis conditio ignominiosa. Insuper et in circuitu degentes viam publicam a suis finibus arcebant et per istius terrae nostrae medium contentiose intorquebant. Suam terram undique finetenus studiose excolebant, istam vero ad animalium suorum pastum violenter sine pretio usurpabant. Hinc querimoniae, illinc sepius contentiones et rixae. Fatebantur, quibus fiebat iniuria, commodius ac satius fore rem penitus non haberi, quam cum tali dedecore aliquid possideri. Castellani, id est advocati, auctoritas neque terror neque patrocinium neque suffragium his incommoditatibus nullatenus opitulabatur. Inter haec quidam Godefridus vir seculo satis idoneus, iusticiarum comitis et causarum fiscalium infra provinciam praepositus et procurator strenuus. 'Si haec', inquit, 'terra, quando vobis neque honori neque utilitati cedit, michi in beneficio daretur, homo abbatibus efficerer manibus et sacramento et fidelitate suis essem, tam de me, tam de equis meis famulatum condignum presto haberet maximeque cuncta, quae ecclesiae esse noscuntur et undecumque contigua sunt et adherent comitatui, fideliter protegerem, supportando etiam fortuitas incursiones et incolarum offensiones auxiliando semper adessem'. Itaque inito communi consilio et super hoc corroborato ab omnibusque laudato ita factum est et, quae hinc dicta sunt, eo tenore beneficiata sunt ei. De his ita dixisse sufficiat.

In eminentiori pene loco Austrovantensis⁴ pagi a longe conspicabilis posita est villa tempore belli armatorum adversae partis utrinque quasi specula cotidiana Asconium⁵, vel magis

1) Wohl 'saxa' zu ergänzen. Wie aus fol. 136 hervorgeht, war zuletzt von 'beuruii municipio' (Beuvry, cant. d'Orchies) die Rede. 2) 'conditoria'? 3) Reumegys bei St. Amand. 4) 'Austrevantensi' Hs. 5) Abscon (arrond. de Valenciennes, cant. de Bouchain).